

**De elephantiasi : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Ferdinandus de Lalande.**

**Contributors**

Lalande, Auguste Ferdinand de.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Form. Brüsckianis, 1824.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/k7k2gxxu>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

4  
DE

# ELEPHANTIASI.

---

## DISSERTATIO *INAUGURALIS MEDICA*

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI  
MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES  
RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XX. M. APRILIS A. MDCCCXXIV

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

FERDINANDUS de LALANDE

PARTHENOPOLITANUS.

---

OPPONENTIBUS:

C. BRAUNE, CAND. MED.

E. RAMBERG, CAND. MED.

E. GABLER, CAND. MED.

---

BEROLINI MDCCCXXIV.

FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

ELPHANTASIS

DISSERTATIO

IN MEDICINAM

DE

CONSENSU ET ACQUIESCENTIA

MEDICORUM

IN

UNIVERSITATE LITHVANA

UT

IN MEDICINA ET CHIRURGIA

INTE SIBI COMPARATIS

DIE XX. DE APRILIS A. MDCCCXIV

R. L. G. S.

POHLE, LITHVIA

AVTOR

FERDINANDUS DE LAJANIS

CAUSAM

DE

CAUSIS

CAUSIS

CAUSIS

F R A T R I

CARISSIMO AC DILECTISSIMO

GUILEL. de LALANDE

IN REGIO MINISTERIO RERUM MILITARUM AB EXPEDI-  
ENDIS INTIMIS ET CALCULIS.

PERINDE AC



V I R O

SPECTATISSIMO, HUMANISSIMO

JOAN. SCHERINGER

REGIO PRAEEECTO RERUM FRUMENTARIARUM.

HASCE

LITTERARUM PRIMITIAS.

PIA GRATAQUE MENTE OFFERT

AUCTOR,

## Prooemium.

Cum immensam rerum catervam, quas medica nobis offert doctrina, inspicerem, diu haesitavi, priusquam materiam quandam invenirem, scribendae dissertationi, congruam, quia partim in res incidi, quae vel sexcenties tractatae, vel ab eximiis viris clare dilucidae et in lucem prolatae sunt, partim vero multas res reperi, quas plurimorum ingeniorum acumen, atque ipsa experientia incertas et inexplicabiles reliquit. Simul etiam versus ille Horatianus menti meae offerebatur: „sumite materiam, vestris, qui scribitis aequam viribus,“ Conamine meo hisce rebus magis etiam labefacto, ad experientiam propriam licet exiguam, confugi, cuius comparandae in



nosocomio nostro occasio mihi contigit, tandem-  
que materiam delegi, in quam accuratius per-  
tractandam, plurimi quidem medici, inde a priscis  
saeculis vires impenderunt, cuius vero de forma  
curationeque scriptores haud consentiunt. Quam-  
vis vero dicta mea, fere nihil novi exhibent, et  
quamvis pauci tantum existunt, qui hasce paginas  
lecturi sint, aptissimum tamen mihi visum est,  
ut argumentum mihi eligerem, cuius aliquam  
notitiam propria experientia saepius mihi subges-  
sit. Multa enim illius morbi exempla observavi,  
quem scriptores nomine elephantiasis insignive-  
runt, quam ob rem etiam tibi L. B. hasce litte-  
rarum primitias proponere audeo, mihique per-  
suasum habeo, te maxima cum humanitate et  
indulgentia eas recepturum esse.

---

**L**epra morbus dicitur chronicus contagiosus, maculis ordiens flammeis haud dolorificis, quae postea ulcera maligna, aut squāmas duras tuberculaque et foedissimam totius cutis deformitatem excitant, quibuscum universi corporis dyscrasia coniungitur. Lepra duplicis est generis: Lepra orientalis et occidentalis. Si recentiores sequimur auctores, illa leprae duo genera in hasce discescuntur varietates:

### I. Lepra orientalis s. L. Arabum.

- 1) Lepra alba, s. mosaica s. Hebraeorum s. Morphaea alba.
- 2) Lepra squamosa s. Graecorum s. ichthyosis, s. impetigo excorticativa.
- 3) Lepra nodosa s. tuberculosa s. elephantiasis, s. L. Syriaca, s. Aegyptiaca, s. Americana.



## II. Lepra occidentalis.

- 1) Morbus ruber Cayennensis s. Lepra rubra, s. alopecia s. Lepra scorbutica s. Mal rouge de Cayenne.
- 2) Morbus Crimensis s. L. Taurica.
- 3) Lepra borealis s. Norwegica.
- 4) Pellagra s. Lepra mediolanensis s. L. lombardica s. Scorbutus Alpinus.
- 5) Rosa asturica.
- 6) Herpes Aleppicus.

Ex numero horum omnium elephantiasin prolixius pertractabo.

### Historia morbi.

In oriente maximeque in Asia occidentāle et Aegypto verae elephantiasis patria est quaerenda. Ab antiquissimis inde temporibus a Mose et Lucretio usque ad Niebuhrium ibi semper exstitit. In occidentem ab oriente translata esse videtur. Graeci eam a Phoenicibus acciperunt; bellis a Pompeio in oriente gestis, et haud dubio iam

---

Raymond; Histoire de l'Elephantiasis, Lansann 1767.

Hensler. Vom abendländischen Aussatze im Mittelalter, nebst einem Beitrage zur Kenntniss der Geschichte des Aussatzes Hamburg 1790. 8.



prioribus temporibus ea in Italiam translata est. Nono iam saeculo in occidentali Europa nosocomiiis opus erat, inprimis in Germania, Italia, franco Gallia, Britannia et Hispania lepra ita saeviit, ut maioribus nostris gravissimum terrae damnum videretur. Initio decimi quinti saeculi foeda huius morbi species admodum mutata est, satisque constat, plurima nosocomia leprosis antea referta non necessaria habita esse. Sane memoratu dignum videtur, quod eo tempore, quo syphilis summa cum atrocitate grassari coepit, elephantiasis cesserit, nostra vero aetate saepius redeat, qua syphilis non rarius quidem, sed multo mitius, quam illo aevo saevire consuevit, quod neutiquam soli medelae syphilidis perfectiori adscribi potest. Frascatori iam a. 1510 contendit, se non comperit habere, quid sit elephantiasis, et sane credere ausim, lepram fortasse accumulatione materia illius specificae in genitalibus partibus, sensim sensimque in syphilidem transiisse, itaque non solum externo contactu, sed etiam coitu magis divulgatam esse. Hoc etiam eo confirmatur, quod saepe complicatio syphilidis cum lepra obviam venit, quod etiam, inveterata syphilis saepe leprae similem cutis destructionem producit; accedit observatio aegroti cuiusdam nostro in nosocomio, cuius penis pariter degeneratus erat, ac pedes in elephantiasi, faciesque in leontiasi. Hoc ipso tem-



pore vera elephantiasis ex multorum auctorum sententia inter Nilum et Euphratem grassari dicitur; apud Arabes nomine Dschossam s. Dschüddam, etiam Beras s. Aberas, Dal-fil in Aegypto designato. In India, a Cabiraiis, medicis indicis, Fisadikhun sive Khora nominatur, in Africa et maritima et interiori: Damadyang, s. Didyam, s. Dschieddam,

## D i a g n o s i s.

Totum morbi circuitum hisce quatuor stadiis circumscribi posse censeo.

Primum stadium est prodromorum:

Nunquam elephantiasis sine prodromis partim localibus partim universalibus apparet. Illis adnumeranda sunt: vehemens continuusque cutis universae pruritus, variae totius systematis cutanei affectiones, aegrotus forsan herpetico quodam exanthemate laborat, vel humida et pruriginosa -tinea in conspectum antea prodit, vel subflavae aut hepaticae aut albae, imo niveae exoriuntur maculae, quae ne minima quidem sensibilitate gaudent, ita ut aegrotus, si acu eas pungas, nullum percipiat dolorem. Omnibus in corporis partibus enasci possunt, saepiusque tam parvae sunt, ut is, qui oculis nondum excultis utitur, eas pro pulicum puncturis facillime habeat. Non solum in



reti malpighi, sed etiam in tela cellulosa radices agunt, unde saepe etiam fit, ut crescente morbo, omnes fere crines defluant. Quae quidem maculae tritae et irritatae rubro colore suffunduntur, et acutum inmissa, sanguinem reddunt. Ceterum forma, magnitudine, colore differunt, et a veteribus nomina, vitiliginis, alphi, melanos, leuces, morphea, acceperunt. Per se iam intelligitur, has maculas omnia specifica signa prae se ferre posse, neque necessarium esse, ut sequatur elephantiasis ipsa. Saepe enim hae maculae sensibilitatem gignunt, dolent, excitant, etiam pruriginosae et humidae fiunt, et in herpeticum exanthema transeunt. Si vero in graviores formas transgrediuntur, insensibilitatis expertes manent, opacum lividumque colorem referunt, neque ullum sanguinem, sed saniosum puriformemque humorem secernunt, et quod gravissimum est, universum organismum afficiunt. In illo aegrotto, quem equidem observavi, multis ante annis fere certo tempore sexta semper hebdomade erysipelas cruris exoriebatur; et simile quiddam 1) Metternich observavit, quippe qui, initio morbi cutem pedum, femorum, partium genitalium, abdominis, dorsi, pectoris atque brachiorum inflammatione

---

1 Hufelands Journal 1811. April p. 21.



leviori, rubedinis opacioris, affectam fuisse, totumque per ambitum inaequabiliter intumuisse, substantiamque ipsam admoto digito, quasi tuberculosam fuisse, memoret.

Stadium febrile.

Aegrotus languet, pallescit, segnis morosusque evadit, eiusque hilaritas in tristitiam convertitur.

Accedunt oscitationes, capitis, lumborum vel artuum dolores, afficiturque aeger ac si ipsius membra quotquot sunt, fracta sint. Cutis maximis sudoribus cooperitur, anhelitus sudorque odorem acrem quasi caprinum edunt. Febricula, quae iam initio morbi aegrotum vexavit in febrem exquisitam transit. Ex plurimorum scriptorum sententia, haec febris intermittenti quartanae simillima est, eiusque typum etiam exhibere dicitur, quod equidem, quantum exigua me docuit experientia, omnino negare cogor, quum omnibus in casibus, quos equidem mihi oblatis, summumque fere gradum assecutis, inter morbi decursum exacerbationes febris sat luculenter in conspectum venerent, neque tamen ullo typo limitatae sint. Aegroti frigore correpti sunt, etiam sudarunt, urina turbida fere flammea, saepe fere lateritium praebuit sedimentum, verumtamen paroxysmum et apyrexiam nullo modo distinguere potui. Metternich itidem de aegroto tradit pecu-



liarem febrem, quae semper leni frigore, ac quodam cutis pruritu se manifestaverit, certum typum minime obtinuisse, maximeque nocturno tempore invasisse, quam febrem vehemens calor sequutus sit. In aetiologia ad hanc febrem recurram, operamque dabo, ut huius febris indolem accuratius definiam. Aegrotus, quo nunc in caritatis nosocomio versatur, quamquam pedum degeneratio leprosa sane vehemens apparet, atque morosa et malancholica constitutio satis exulta est, exigua tantum febre ambiguum indolem habente, laborat, morbique initio febre se affectum fuisse, penitus negat, quod vix crediderim; attamen interrogari potest, an erysipelas aliquamdiu ante ipsius elephantiasis introitum sexta quavis fere hebdomade progressum, loco febris habendum sit. Pulsus hoc in stadio durus, fere interdum parvus, exilis, interdum plenus nec vacuus. Membrae nasi fauciumque exsiccatae, olfactus, gustusque pravus, aut deletus, continuaque irritatione faucium et oesophagi tussis, vomituritio vomitusque ipse provocatur, vox rauca fit, aeger maiorem virium iacturam persentiscit nec raro queritur de singulari mentis debilitate; somnus inquietus fit et insomniis turbatur. Desiderium coitum exercendi modo auctum modo suppressum; interdum enim illo ipso tempore herpes humidus circa scrotum apparet, praesertim si ae-



grotus simul haemorrhoidibus affectus erat, aut medorrhoea inciderat; praeterea singulae pustulae in glande penis oriuntur, praeputium valde tumet, atque oedematosum fit, hydrocele excolitur, penisque ipse turpissimam formam ostendit; hisce in casibus desiderium coitus maximum est, et fere insatiabile. Ubi vero materia morbosa jam ab initio ad pedes accumulata atque congesta, ubi partes genitales non affectae, neque aegrotus haemorrhoidarius erat, istud desiderium non auctum, fere depressum. Sub finem hujus stadii cutis peculiari sudore cooperitur, scaturit enim ex cute humor quidam tenax et viscidus, qui guttatim congregatus, solidam indolem adipiscitur, et quasi indusio affectam partem contegit, ex quo superindumento postea squamae crustaeque oriuntur inter quas papillae rubrae carnaeae apparent. Hocce stadium sive tardius sive celerius praeterierit:

Stadium eruptionis morbi accedit, in quo morbus ipse luculentius manifestatur, qui, prout pedes aut faciem afficit, elephantiasis aut leontiasis nuncupatur. Debilitas corporis, constitutio melancholica magis magisque augetur. Tument etiam glandulae inguinales, si extremitates inferiores morbo corripuntur, multaeque partes sanguine suffusae apparent, supra dictae cutis degeneratioes eveniunt, sensibilitas affectae partis deletur, aeger voracitate quidem maxima captus, infirmis-



simus tamen evadit, accedit etiam, quod quidem rarius fit, maleolens ptyalismus; coitus desiderium aequè ac in praecedente stadio aut adauctum aut suppressum, urina crassa, fere oleosa, cutis elasticitate fere privatur, flaccida pallidaque fit, ac saepius speciem anasarcae exhibet, durities tamen bene sentiri potest. Nunc signum pathognomonicum prodit, micantia scilicet illa stadia, rubra aut livida tubercula, diversae magnitudinis, in quibus cutis crassissima rimosa omninoque insensibilis apparet. Facies hoc morbo affecta, primum lividum subflavum quasi sordidum hepaticumque colorem prae se fert, palpebrae crassae evadunt, tuberculosae, rugosae superveniuntque ectropia, epiphora semper adest, visusque valde imminuitur. Ad linguae radicem, subter palpebris, et ad posteriorem auris partem nigri varices inveniuntur, qui verrucis haud sunt absimiles. Integumenta externa rotundam fere globosam formam induunt, cutis magis magisque implicatur, tubercula, pisi instar, ad ovi gallinacei magnitudinem extensa, labra pallida rimosa atque fissa, facillime sanguinem effundunt, aequè ac gingivae. Mentum, nasus, auris atque labra ingentem horrendamque figuram exhibent, humanaque facies bestiae similior fit, unde nomen leontiasis. —

Si vero morbus in extremitatibus oritur, quarum saepissime inferiores eligit, cutis primum



crassa, livida atque cinerea serius tuberculis obsidetur, novissimeque elephantis integumentorum instar apparet. Partes valde tument, atque tela cellulosa digito tacta, duritiem, densitatemque offert. Morbus dein cressit, magisque extenditur, intumescenciae tuberculorae adaugentur, febris fere nunc hectica fit, tubercula rumpuntur, succeditque stadium colliquativum.

Nunc ergo ulcera iam adsunt, quae corrodentem saniem secernentia ad cartilagines et ossa tendunt, eisque morbum eundem tribuunt. Illa fungosam quandam speciem referunt, callosis atque recurvatis marginibus circumdata, saepissime carnem tantum luxuriantem, aut alios parasitos producunt, multaque communia habent, praesertim in tunicis muciparis, cum ulceribus syphiliticis, distinguuntur vero ab his tantummodo insensibilitate. Aucta vero exulceratione interdum fit, ut nasus, aures, digiti manus et pedis, etiamque tota membra e corpore segregentur; somnus aegroti magis inquietus, insomniis turbatus, odor horrendus, caprino aequalis redditur. Articuli tumefacti ad motum nullo modo apti sunt. Membraque ipsa contractis tendinibus recurvantur; ungues crassi, duri, rimosi, avium rapacium unguib. simillimi. Sic morti sensim sensimque obviam rapitur aegrotus, virium sequitur prostratio maxima, serosae vel sanguinolentae alvi ex-



cretiones eum penitus debilitant, donec fato supremo perfungatur.

### A e t i o l o g i a.

Quodsi quidem in definienda huius morbi causa proxima, cadaverum sectionibus confidendum est, sicuti in quovis alio morbo, tum ex iis, quae perillustres pathologi nobis tradunt, sane elucet, telam cellulosa, periosteum, ossa, totumque systema lymphaticum hocce morbo vario modo degenerari, unde etiam concludere licet ipsam telam cellulosa primitus affectam, diathesin morbosam vero postea etiam in alia organa translatam esse. Quaecunque symptomata nobis in exanthematibus in conspectum veniunt, plus minusve inflammatorium quendam singulorum vel plurimorum organorum statum ostendere puto, meamque sententiam hisce argumentis confirmabo:

1) „Calor, rubor, tumor, dolor, functio laesa, pulsus frequens, symptomata cuiusdam inflammationis sunt; haecce cuncta in omnibus fere exanthematibus generibus invenimus.

2) Suppuratio, serosa lymphaticae exsudatio, induratio, desquamatio, oedema, ipsaque gangraena, sunt localium inflammationum sequelae, eadem vero exanthematibus succedunt.

3) inflammationes locales febrem universam excitare possunt, eandem etiam provocat exanthe-



ma; et si qui forsan in chronicis exanthematibus nullam febrem animadverterunt, morbum non a principio observarunt, sed tantummodo eius exitum inspexerunt, emexpli gratia, pustulas scabiei, cui inflammatio praecesserit necesse est, quae nunc quidem iam serosam in exsudationem transgressa est. Sicuti in hisce casibus exanthema febrem provocat, ita vice versa exanthema febre productum esse, haud infrequens docet observatio, satis enim notum est, febres intermittentes, maxime gastricas, exanthema illud circa os nasumque proferre. — Quemaomodo etiam de omnibus exanthematibus constat, non efflorescentiam cutis solam, sed quandam, nobis scilicet ignotam, universi corporis affectionem, morbum provocasse, sic mihi satis persuasum habeo, omnia symptomata in elephantiasi nobis conspicua, tantummodo interni cuiusdam morbi argumenta esse.

Hoc enim testatur evolutio affectionis cutaneae, quae sane admodum tarda est, varia symptomata prodroma, quae morbum ipsum praecedunt, tum evidens totius organismi affectio, quae alienata ab omnium fere organorum ministerio cognoscitur, denique ex remediorum effectum hoc satis patet, quia medicamina externa sane omnia frustra adhibentur; mihi haud improbabile videtur, vitium illud, recentiori tempore a Rustio,



viro amplissimo maximeque reverendo, accuratius adumbratum, scilicet erysipelas spurium, sive pseudoerysipelas, quod in degeneratione telae cellularis cernitur, speciem quandam esse elephantiasis. Hic enim morbus non ab exteriori ad interiorem corporis partem, sed vice versa, ab interiore ad exteriorem tendit. Aegrotus febre afficitur, neque ullam saepe causam morbi suspicari potest; conqueritur maximam virium iacturam et debilitatem; animi morositas, fastidium, sensuum obnubilatio eum occupat, tum in aliqua corporis parte opacum ruborem cernit, qui limitatus circumscriptusque impressis digitis paululum cedit. Tumor ipse, qui una cum rubore coniunctus est, ab initiis, nisi sanie accumulata mechanicum existat nervorum irritamentum, nullum exhibet dolorem. Organum ipsum frigidum est, cutis densa, flaccida luculentam fluctuationem ostendit. Quo morbo non bene distincto atque cognito, exulceratio interna magis diffunditur, internas partes omnino destruit, quod demum ipso partis volumine satis dignosci potest, typhodes febris supervenit, atque aegrotum praecipitat. Patefacto vero hocce tumore per scalpellum, ingens saniei moles eliminatur, atque telae cellulosaе inflammatio conspicitur, quae in sphacelum desinit.

Supra iam argumentis confirmavi, quodque exanthema cutis inflammatione consistere, atque



sane mihi persuasum habeo, elephantiasin nihil aliud, nisi inflammationem telae cellulosaе esse, in qua quidem systematis cutanei propensio ad degenerationem et ad exsudationem negari nequeat. Illam puto inflammationem minus rapidum habere decursum, quam pseudoerysipelas et dependere a causis infra memorandis praedisponentibus atque occasionalibus, a constitutione aegroti, a climatis regionumque epidemica ratione, et ab ipsa febris indole, cuius exacerbationibus atque remissionibus aut in peius aut in melius converti possit. Metternich ipse, cutem aegroti, cuius historiam memoriae tradidit, totum per ambitum inaequabiliter intumuisse, et a primo inde morbi tempore subrubro colore tinctam fuisse, narrat. Aegrotus, quem equidem intueor, typice illud erysipelas adventasse memorat, hocce malo vero praesente erysipelas non rediisse confirmat. Duobus vero in aliis eiusmodi aegrotis, quos sat accurate observavi, temporibus quibusdam, parvos subrubros, lividosque tumores exortos esse animadverti, qui adhibita ligatura compressoria, ulcerationem producerent, ex qua sanies sordide tincta emanabat, ipse vero sudor ad producendas crustas degenerationesque cutaneas, ansam praebuit. Iam quod illum casum attinet, quem Metternich proponit, omnia symptomata accurate descripta ad erysipelas referri posse, vide-



mus. Apud aegrotum, quem supra commonefeci. erysipelas evanuit, cum cutis pedis iam in exulcerationem transiisset, et a sphacelum initio forsan exiguum telae cellulosaе novum telae inflammatorium statum super venisse credo. In duobus aegrotis, antea commemoratis, hoc sat perspicuum fuit.

Quod spectat ad contagium et ad causas disponentes, sane crediderim, illud sine dubio suspicandum esse, quamquam etiam Alibert 1) eius existentiam omnino negat. Respiciamus, quaero, leges mosaicas, atque nosocomia, in quibus leprosi tempore expeditionum sacrarum curabantur; cur enim isti aegroti a reliquis segregabantur nisi infectio timeretur. Fixum hocce contagium, itemque tactum diuturniorem ad infectionem necessariam esse, censeo, quod ea exempla testantur, quibus morbum coitu propagatum esse constat, et memoratu haud indignum videtur, infantes atque eunuchos raro fereque nunquam infectos esse. Verisimile est, effectus huius contagii universales esse, totumque systema lymphaticum occupari, indeque degenerationes cutaneas prodire.

Causae praedisponentes hae sunt: maxime illud pseudoerysipelas praegressum, localis vel

---

1) J. L. Alibert: description des maladies de la peau, observées à l'hôpital Saint-Louis, et exposition des meilleures méthodes suivies pour leur traitement; Livraison I — XII à Paris 1806 — 1812. f.



universalis affectio totius systematis lymphatici, cutanei atque glandulosi, varia praegressa exanthemata, universaque cachexia corporis.

Occasionalibus causis, praeter contagium illud: peculiaris quaedam aëris constitutio, adnumeranda est. Experientia, recentiorum etiam temporum satis docuit, humidum calidumque aërem, eumque materiis et animalibus et vegetabilibus putridis refertum, exanthematum generationi maxime favere, quidni igitur ad elephantiasin provocandam haec aeris constitutio nihil conferre potest? Illis in regionibus Arabiae, Aegypti, Abyssinae, Americae meridionalis, ipsoque regno Siamensi, perinde ac in calidiorum regionum oris, ubi talis aëris constitutio endemica prostat, huncce morbum maxime grassari, plurimisque paludibus ibi sitis maximum fere gradum assequi videmus. Item etiam prava et putrida alimenta, caro suilla etc. plurimum ad efficiendam elephantiasin praestare valent, nec non neglecta cutis cura, quibuscunque exanthematibus producendis sufficiunt. Animi vero pathemata deprimentia, terrorem, continuam tristitiam, etiamque melancholiam causas huius morbi exhibere posse, omnino nego, qui ipsa quidem melancholia, saepissime cum elephantiasi coniuncta, neutiquam causa, sed tantum morbi effectus est, quamquam e contrario omnino concedendum est, easdem causas, exempli gratia, viscerum obstructions, qua-



les reperiuntur in melancholia, etiam elephantiasis genesi plurimum favere; quam ob rem elephantiasis inter servos, coloniarum Indiae orientalis obvia, non ex lugubri servitutis sensu atque memoria, sed ex depravato eorum victu proficitur.

Quod tandem spectat ad hereditariam huius morbi dispositionem, omnino negare cogor. Sane maxime est, ambiguum omnino, morbos hereditarios agnoscere, quamvis quidem exempla existant, quibus patet, gravidas variolis affectas, foetum variolis obsitum, peperisse, attamen „una hirundo non indicat aestatem.“

Qua enim via fieri potest, ut e. g. morbus scrophulosus, arthritis, phthisis, similesque morbi, a parentibus ad infantes propagentur; consentaneum mihi videtur, commutationem vivendi rationis totamque educationem facilius causas suppeditare posse. Liberi forsitan sub iisdem externis iniuriis vivere coguntur, quae parentibus morbosam dispositionem compararunt; forsitan alimentis nutriuntur, quae concoctu sunt difficillima, neque ullo aëre puro gaudent, neque motus et negotia ipsa aetati puerili accommodantur; si infantes peregrinis hominibus commissi, educantur, quibus eorum commoda, non curae cordique sunt; si forsitan, tenera etiam tum iuventute, opifici alicui traduntur, quo corporis status facillime



potest in peius mutari. Quae cum ita sint, iure hereditariam morborum dispositionem negaverim, et si his ita constitutis, auctores tamen contendunt, dispositionem scrophulosam, phthisicam, arthriticamque etc. hereditate posse propagari, quid mirum, quod etiam dispositionis ad elephantiasin hereditariae mentionem faciant. Exempla quidem proferunt scriptores, quibus probare student, per totam posteritatem elephantiasin propagatam esse, ideoque credendum putant, morbum esse hereditate ortum; his respondere liceat: multos parentes syphilide laborantes liberos procreare sanos, qui nulla huius morbi symptomata exhibeant, quotidiana vero consuetudine, nutrimento aliisque causis facillime fieri posse, ut etiam lue venerea inficiantur, quod mihi sane concedendum est. Quodsi igitur parentes lepra affecti sanos infantes edunt, idem morbus, ad hos potest transgredi, quia sub iisdem rerum conditionibus vitam degunt, iisdemque iniuriis sunt obnoxii, praesertim, si totum iam corpus, lacte forsan depravato hausto, aut alimentis aliis noxiis turbatum est. — Plurimi tamen casus reperiuntur, quibus liberi a leprosis parentibus geniti, per totam vitam hoc morbo vacent.

Sub finem huius capitis opiniones proferam, quae de leprae natura, maximeque de elephantiasi oppositae sunt:



Inveniuntur enim apud aegrotos lepra correptos, vermes multi inter cutem et musculos, qui hasce partes erodere dicuntur. In lepra ararum turedines, muscarum communium larvis haud absimeles repertae sunt. In elephantiasi, quae in Norwegia observatur, species quaedam nomine Gordii dicta, occurrit. Talia animalcula pro causa morbi habebantur; quemadmodum vero in scabie acarus exulcerans sive humanus nullo modo causa, sed tantummodo effectus morbi est, ita et in elephantiasi. Serapion et Haly Abbas, sedem leprae in melancholica et choleric constitutione ponunt, ideoque distinguunt lepram benignam atque malignam. — Constantinus Carthaginiensis, qui Salerni docuit, atque a. 1087, obiit quatuor humorum gratia, quatuor leprae species agnovit: Alopeciam, Tyriam, Leoninam et Elephantiasin. — Varandaei verba hae sunt: „Elephantiasis est intemperies iecoris sicca calidaque, cum certo putredinis aut venositatis gradu iuncta, per quam humor atrabilarius copiosior gignitur, paulatimque omnes corporis partes corrumpit. Quicumque temperamento sunt putredinoso valde sanguineo, aut atrabilario, quibus hepar siccus cum calore et ventriculi cruditate, aut lien infirmior minus aptus defaecando sanguini, quicumque foetidum ex ore, naribus et axillis habitum effundunt, illi valde sunt parati ad elephan-



tiasin, potissimum ubi vigesimum aetatis annum attigerint, usque ad sexagesimum, quia tunc sanguinis corruptelae, ebullitiones et impuritates magis contingunt, ob acriorem caloris gradum, qui in pueris benigno humorum nectare diluitur, in senibus vero inclinantibus iam deferbuit. Hoc etiam morbo nisi ex semine pendeat, minus tentantur mulieres quam viri, tum propter earum humiditatem propriam, tum purgationem menstruam qui sanguinis massa defaecatur commo-  
dissime.“

### P r o g n o s i s.

Si universam elephantiasis ac leprae imaginem animo perpendimus, si devastationem respicimus, quam uterque morbus maxime prioribus secutis produxit, quodsi denique videmus, omnia remedia, et gravissima et heroica, quae vocantur, incassum adhibita esse, prognosin pessimam habendam esse, patebit. Dantur quidem exempla quibus aegroti non mortem subierunt, si morbus iam in primis stadiis imo in tertio a medico tractaretur, ita ut malum limitaretur, aegrotique leprosis pedibus aut deturpata facie ad sexagesimum vel septuagesimum vitae annum pervenirent, quin imo exempla reperiuntur, quibus aegri, si elephantiasis non ad maiorem gradum evecta esset, ex toto sanabantur. Ad prognosin stabiliendam ne-



cessarium est, ut non solum mali progressum, constitutionemque aegroti respiciamus, sed etiam maxime epidemicae atque endemicae aëris constitutionis rationem habeamus, quae ad morbi evolutionem, sicuti in omnibus morbis, gravissimam vim praestat. Tum demum res domesticae prognosin definiunt, quae aegrotum hilarem aut tristem reddere valent; quia animi hilaritas in curandis morbis omnibus, sane maximi momenti est.

## M e d e l a.

Progrediar nunc ad aurationem elephantiasis. Quodsi ad veterum medicorum huius morbi curationem animum attendas, omnino perversam fereque ridiculosam fuisse reperies. Hebraei hunc morbum insanabilem, atque vindictam, a deo singulis hominibus vel toti genti impositam, censuerunt, nihilque egerunt, quam ut omnes lepra affectos e communi hominum societate relegarent. Graeci Arabesque hos homines quidem tractabant, attamen eorum curandi methodus, siquidem pathologia tum temporis maxima premebatur caligine, omnino exilis fuit, et Aretaeus primus existit, qui emeticis et balneis sulphuratis et diaeta commoda, morbum curaret, ideoque ipsam morbi naturam sat bene cognosceret. Insatiabile coitus desiderium, et observatio, eunuchos fere nunquam



lepra affici, causam praebuit, quod a multis operatio castrationis institueretur. Hodie etiam in illis regionibus maxime in Aegypto, ubi saepissime lepra in conspectum venit, morbus insanabilis habetur, neque ulla administratur curatio, sed tantummodo, maxime in Indicis coloniis, Aethiopes a communi societate excluduntur, quod omnino efficere debet, ut miseri illi in tristissimum, desperatumque statum coniiciantur, morositas ipsaque melanaholia adaugeatur, diaeta, victus genus salubre iis detrahatur, ipsique rapido morbi decursu mox etiam obeant diem supremum. Ex his elucet, quam parum curatio exculpta sit, et ne experientissimi quidem veterum medici in hoc morbo curando nobis duces existere possunt, quare eos omittam, et ad ea praecipue me convertam, quae mea ipsius experientia teste huic morbo salubria, quaeque noxia esse puto. Aptissimum mihi videtur, ut singula stadia, quae in diagnosi a me proposita sunt, et in therapia respiciam.

### Stadium primum.

Hoc in stadio nihil magis necessarium est, quam ut diaetam victusque rationem accuratius definiamus. Aër purus, parum frigidus aegrotos saluberrimus est. Aeger ex insalubri, paludosa valde calida humidaque regione auferatur. Animus hilaris atque securus reddatur, et id maxime



agamus necesse est, ut constitutio melancholica arceatur, vel saltem incrementa eius caveantur; quare aegro praecipias, ut domicilium mutet, iter faciat balneisque utatur, inprimis balneis sulphuratis, exempli gratia, Aquisgranensi, vel Wisbadensi, vel iis, quae Bareges, Bagneres Francogalliae; Bath vel Harrowgat Angliae offerunt. Abstineas porro aegrotum a cibis, qui aut difficillimi sunt concoctu, aut salsi aut corrupti aut adiposi aut acrius conditi; commendes vero nutrimenta blanda et benigna. Laudantur etiam ius et caro testudinum maritimarum. Alibert aegroti mentionem facit, elephantiasi laborantis, qui, quum domicilium a l'isle de France ad vastam arenosamque insulam transtulisset, ibique nullo alio cibo, quam testudinibus earumque iure et carne pastus, singulisque diebus balneo arenoso valde diapnoico calidoque usus esset, paucos post menses plane in integrum restituebatur. Galenus, Coelius Aurelianus, laudant quidem viperarum carnem et iusculum, utilitas vero huius cibi recentioribus temporibus non probata est. Si iam hoc in stadio affectiones febriles apparent, acida vegetabilia, pulpa tamarindorum, succus citri, serum lactis, lactisque ipsius largior usus adhibendus est.



## Stadium secundum.

Febris illa, hoc in stadio obvia atque congestio sanguinis ad cutem, derivantem sedativamque methodum exposcit. Ad hunc scopum consequendum venaesectiones rite adhibitae, hirudines, scarificationesque et cucurbitulae externis affectis partibus applicatae, laudantur. Febre hisce remediis diminuta quidem exanthemate vero iam in conspectum veniente, efficaciora remedia flagitantur, hinc laxantia, balnea tepida conveniunt, et iam pridem hancce methodum in Barbado insula contra elephantiasin administratam esse, constat. Congrua igitur ineunte hoc stadio cura videtur, quae aegrotum quavis hebdomade duo laxantia e Calomelane et pulvis rad. Ialappae sumere iubet, simulque bis tepido balneo exiguoque victu utendum esse docet.

## Stadium tertium.

Si morbus iam in hocce stadium transiit, ideoque exanthemate ipso manifestatur, gravissima remedia in usum vocanda sunt. Ad quem finem multas diversasque methodos adhibitas esse, legimus. Hoc enim in stadio reproductionem ipsam totiusque cutis functionem medici corrigere voluerunt, quare iam antiquissimis temporibus mercuralia in usum traxerunt. Iam Hensler unguen-



tum mercuriale in usum vocavit, unde factum est, ut in methodo hydrargyrum inunguendi, a Rustio et Fritze, accuratius dilucidata, maximam spem collocarent recentiores, quamquam Willan 1) nullum infrictionum ad ptyaslismum continuatarum effectum cerneret. Laudat vero iste vir usum stipit: dulcamarae; Sprengel horum connubium cum cortice Ulmi et herb. Iaceae. Aequè et hel-leborus probatur sicuti Contraierva, es *Serpentaria virginiana*, et si febris iam typica evasit, inter-mittentique similis, *Chinae* locus est. — Mead tinctura cantharidum lepram sanavisse fertur; Va-lentinus in insula St. Cristophori optimum effec-tum e lacertis duabus, in boli formam concisis se vidisse, asserit. In complicatione scorbutica acidum nitricum optimum praebet effectum. Alii probant Arsenicum, nominatim solutionem 1) Fowleri. Russel commendat balneum, ex aqua marina tepida, postea in mari ipso. Aliis testibus balnea limosa et vaporaria, saluberrima. Inunc-tiones unguenti sulphurati, quae a veteribus, maxime a Vigone, Chautiaco et Theodorico in usum vocabantur, nullam efficaciam praestiterunt.

Fourcroy, Alibert et Halle unguentum oxy-

---

1) Willan Ueber Hautkrankheiten, übersetzt v. Friese

2) Matius. De elephantiasi arsenico curato Regio-mont 1803.



genatum, Willis ac Turner unguentum oxygenatum ex pice liquida et adipe suilla peratum, salutare fuisse, memorat. Neque minus fasciae pedibus circumdatae incisiones varicum, ipsumque ferrum candens parti laboranti ad motum, leprosis saluti esse dicuntur. —

Quodsi ergo diversorum remediorum effectum contemplamur, qui pluribus sane in casibus ad desideria forte concepta nullo modo responderet, ratiocinandum erit, aut hocce malum pertinacissimum, aut remedia perperam electa esse. Breviter ergo ea tantum remedia recensebo, quae equidem aut saluberrima vidi, aut quae, uti persuasum habeo, multis in casibus effectum optimum prae-buerunt.

Indicatio praecipue hoc in stadio est, ut dyscrasiam universam exstinguamus, ut digestionem firmiorem reddamus, et morbi productum abigamus. Quem ad finem, me quidem iudice, nihil magis necessarium est, quam ut telam cellulosa degeneratam saniemque, sicuti pseudoerysipelatis therapia nos docet, e corpore eliminemus. Quodsi enim maculae supra memoratae, atque flaccidae illa tubercula nobis obtruduntur, nullo modo expectandum, donec natura ea aperiat, sed quam celerrime cutis morbida incidenda est, ut contenta evacuentur, neque destructiones interiorum partium adaugeantur, quibus fieri debet, ut febris ad ma-



iorem gradum evehatur. Qua degeneratione remota, fomentationes aptissimas esse contendo, quia hisce vel inflammatio asthenica sarcetur, vel etiam durities harum partium valde diminuitur. Si vero etiam dolores adsunt, vehementissimi, totaque inflammatio magis erethicam indolem prae se fert, fomentationes a Rustio commendatas saluberrimas esse vidi, ex Inf. flor. Sambuci, acet. saturni et tra opii spli.,

Totam vero ut profligemus dyscrasiam, utque cutis, systematis lymphatici et ipsius tubi intestinalis functionem in integrum restituamus, decoct. illud Zittm. fort. et mit. laudandum, quod optimam praestare vim, equidem saepenumero observavi; dirissimis enim, et herpeticis lepraeque ipsius degenerationibus, aequae ac pertinacissimis morbi scrophulosi et syphilitici speciebus inveteratis, maximo cum fructu hocce decoctum adhibitum esse novi. Quo etiam redmedio frustra in usum vocato nihil nobis restat, nisi ut ad arsenicum ipsum confugiamus; ast vero, quia fowleri solutio difficillima est concoctu, aliam formam commendare liceat, e. g. connubium cum pipere albo:



Recpt. Arsenici albi gr. duo et dimid.  
piperis albi drach. duas.  
succu liquiritiae q. s.

M. ut fiant l. a. pilul. Nro. L.  
consparg. pulvis cinnamom.

D. S. quovis vespere pilula sumatur, quaternis diebus huic dosi unam addas, donec aegrotus per dies quadrantem grani hauriat.

Remedia externa.

Quodsi hacce curatione interna malum sistitur, solaque degenerationes locales supersunt, neque inflammatorius leprosum ulcerum status adest, involutiones totius affectae partis per emplastra adhaesiva laudaverim, quae vel locales degenerationes impugnent, vel partes, inspersibilis indusio obtectas, solvant, et ad sanitatem perducant, quem ad finem haec coniunctio aptissima est:

Recpt. Resinae communis unc. sex.  
Sebi taurini unc. dimid.  
Cerae flavae drachm. sex.  
Terebinthinae drachm. duas.

M. ut fiat emplastrum.

Ipsius ulceris superficies ante involutionem tegatur emplastro consolidanti:

Recept. Lithargyrii.

Cerussae aa. unc. unam.

Lapid. calamin. unc, duas.

Olibani unc. unam.

Mastichis drachm. duos.

M. fiat pulvis subtilissimus.

coque in

Oleo clivarum unc. duas.

ad consistentiam emplastri.

### Stadium quartum.

Si vero omnia haec, tam externa quam interna remedia, sine ullo effectu administrata sunt, morbusque stadium colliquativum assequutus est, diarrhoea saniosa aut sanguinea se manifestat, digestio atque tota reproductio perversa est, febris naturam nervosam imo putridam induit, certe de radicali curatione: quin adeo de omni auxilio desperandum est, nihilque praeter methodum expectatoriam medico superest, quam ob rem nervina et roborantia, et medicamina diarrhoeae respondentia in usum vocanda sunt, donec mors incommodis et calamitatibus aegroti medicique laboribus finem imponat.

---



CURRICULUM VITAE  
EX DECRETO GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
BEROLINENSIS ADIECTUM.

---

Ego, Augustus Ferdinandus Bogislavus de Lalande, natus sum Parthenopoli, d. XXII mens. Julii a. MDCCCI patre optimo, cui quominus pietatis officia praestarem, praematurus obitus impedivit, matre, e gente Pohley, cuius octo abhinc annis, mortem doleo. Ex illo inde tempore solus exstitit frater, qui educandum colendumque me curaret, cui, ob fraternum in me amorem, per totam vitam maximas habeo gratius. Anno MDCCCXIV Berolinum me contuli, atque Gymnasium Fridericiano-Guielmanum, quod ibi duce B. Bernhardi florebat, frequentavi, litterisque, usque ad annum aetatis fere decimum octavum, quae academiis studiis praemitti solent, vocavi.

M. Aprili a MDCCCXIX in numerum alumnorum Instituti Regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmani adscriptus sum, ubi per quadriennium ad utriusque medicinae studia incubui.

**Virorum Perillustrium** his praelectionibus interfui:

de logice, psychologia, Cel. Wolff; Ill. Link de botanice, historia naturali audiui. Ill. Rudolphi, Encyclopaediam medicam, anatomiam universam, organorum sensuum, entozoologiam, atque physiologiam; osteologiam, splanchnologiam, syndesmologiam et artem, formulas medicas concinnandi Ill. Knapé; artem cadavera rite dissectandi Ill. Knapé et Ill. Rudolphi, me docuerunt. Adii praelectiones Cel. Osann de materia medica, tam speciali quam generali; Cel. Turte: de physice, chemia, pharmacia; Ill. Hermbstaedt: de pharmacia, Cel. Fr. Hufeland: de pathologia generali et therapia generali et speciali, nec non de semiotice; Ill. Horn: de pathologia speciali, therapia speciali, atque morbis syphiliticis. Disserentes audiui Cel. Kluge: de Chirurgia generali, de morbis ossium primitus mechanicis, de arte obstetricia atque arte fascias applicandi, eiusque ab exercitationibus clinicis non abfui. Ill. Graefe de akiurgia; Ill. Rust: de chirurgia universali, ophthalmiatrice et cursu operationum chirurgicarum una cum Cel. Kluge me instituerunt. Therapiam specialem Ill. W. Hufeland; Exper. Jüngken ophthalmiatricen, mihi tradiderunt; neque abfui ab exercitationibus clinicis,



praesidibus Ill. Hufeland, Ill. Neumann, Ill. Graefe, Ill. Knappe accepi.

Studiis his peractis, per annum in nosodochmio Caritatis Perolinensi, ducibus Ill. Rust, Ill. Neumann et Cel. Kluge, chirurgi munere functus sum.

Iam tentamine et examine rigoroso, coram Gratioso Medicorum Ordine, rite superatis, post dissertationem conscriptam publiceque defensam, spero, fore, ut summi in medicina et chirurgia honores, per Decanum maxime Spectabilem, in me conferantur.

## THESES DEFENDENDAE.

---

### I.

Quaevis pars organismi inflammatione corripitur potest.

### II.

Mercurius primarie non in vasa lymphatica, sed in sanguinem ipsum agit.

### III.

Trepanatio quavis laesione cranium penetrante indicatur.

### IV.

Hypochondriae causa proxima alia est, ac Hysteriae.

---